
PROGRAMMA
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
BERNHARDUS BARN-STORFF,
MEDICIN. DOCT. PROF. PUBL.
& POLIATER
CIVIBUS SUIS
ACADEMICIS
FESTUM NATALE SERVATORIS
SACRUM ET FELIX
EOSQVE
SALVOS
ET
LUCIS FILIOS ESSE
JUBET



ROSTOCHII,
Tipis JOH: WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Vmana Filii DEI natura ipſâ luce, qvam videmus, clarior eſt. Neqve enim porro excitato per mediam noctem Splendore delineari debet, velut in paſtorum conſpectu Luc. II. 9: (δόξα Κυρίυ περιέλαμψεν αὐτὸς) Sed qvaſi ſolis radio expreſſa per Univerſam Scripturam refulget. Imo cum ipſe ſervator vera lux eſſe perhibetur Joh. I. 9. Jeſ. LX. 1.: illud inde eſt; qvod in luce nonnulla ſunt, qvæ Sacroſanctum nativitatis ſuæ negotium repræſentant. Ergo qvidem lux præter id, qvod ſeipſam à CHRISTO habet Hebr. I. 2 conf. Gen. I. 3, multo illuſtrior evadit translata in eandem divinit atis ipſius effigie. Sane nulla ex omni eorum, qvæ ſub ſole videmus, ambitu, manifeſtior eſt res divinas declarandi ratio (excepta humanitate, qvæ DEO penitus unita eſt) præter lucis naturam. Hæc certe eo ipſo qvod tam eſt impervia, adeo nemini explorata, qvin omnino ignota, efficit, qvo minus noſtræ de illo, qvid DEUS ſit, qvid incarnatio Filii DEI? ignorantiæ ſuccenſeamus. Mirum profecto eſt, qvantopere id argumentum, de lucis natura omnis ſeculi Scholas exercuerit? qvam miſere ſe in eo torſerint? qvam anxie ſe moverint nihil promoventes. Ridet Academiam Peripatus, qvod ardorem ultimum atqve altiſſimum undiqve circumfuſum & extremum pro certiſſimo DEO habeat. (Cic. L. I. de Nat. Deor.) Qvi vero poſt Epicurum lucem ajunt flammam eſſe, qvæ inde ab ipſo ſole ad ea, qvæ conſpiciuntur, producatur eos exagitant, qvi cum Ariſtotele vix plus dicunt, qvam lucem eſſe lucem, deſcribentes eam: qvod ſit qvalitas, per qvam aliqvid luceat. Ipſi artium reformatores æqve neſciunt, qvid lux ſit? Neq; enim Carteſius lucis naturam, ſed motum explicuit, qvando partem ſubſtantiæ luminoſæ continuo tractu aerem, qvi interjacet, ad objectum indeqve ad oculum propellere excogitavit. Alii (Du

Hamel,



Hamel, Chambray) lumen, seu id, qvod res proxime illustrat atqve videndas præbet, esse continuatam materiam lucis, non qvid illa sit, dictitant: alii ex luce faciunt pilulas seu minutissimos globulos partium ignearum, qvi in supremam cœli Sphæram coaluerint: alii lucem pro Spiritu venditant, qvi cum alio, nempe aere conjugium ineat, eumqve imprægnet, & ita omnem rem visibilem generet; ut lux idem qvod mas, aer qvod fœmina apud nos in generatione facere perhibentur, conferant. Deniqve cum nihil omnino tam clarum sit, aut tam negari neqveat; qvam qvod lux sit? nihil rursus æqve obscurum est; qvam qvid sit? Res ea singulare exemplum habet abstrusissimi de DEO humanitatem recipiente mysterii. Id namqve esse nobis in Summmo bono est, & per totum fidei Christianæ circulum qvasi lux per orbem patet. At vero qvomodo facta sit incarnatio & qvid revera sit æternum utriusqve naturæ vinculum, id si ultra dicendum sit, qvam qvid esse neqveat, pia fidei simplicitate ignoratur. Idem menti nostræ hoc cogitanti accidit, qvod visui, qvando solem curiosius introspicimus, tanto obtundi oculorum aciem opere, ut nihil plane cernat. Qvid enim posset ab homine concipi, qvod ipsi etiam angeli modo affectant intueri? 1. Pet. I, 12. Satis est effectum dominicæ nativitatis, qvæ DEI est gratia, luce meridiana nobis clariorem esse. Ast qvomodo DEUS carnem adsumere, unus cum illa fieri, in illa nasci, crescere, pati, proprium Sanguinem fundere ac mori; & vicissim eam omnipotentem reddere ac in divinæ majestatis præsentissimum provehere fastigium potuerit, id mihi qvidem ê suis præceptis tam non explicabunt Theologi; qvam ego ex naturæ principiis lucis naturam descripsero. Verum uti in miraculo naturæ lux est, qvæ uno momento totum orbem occupat, &, qvod singula Vos præsentis tempestatis Vespera docet, totum cui infertur musæum extemplo illustrat: Sic DEUS in carne manifestatus non modo omnia implet in omnibus: Eph. I. 23. Sed etiam, qvando (qvasi lux universi in faces nostras ac cereos vel candelas derivata) cum pane & vino in cœnæ mysterio conjungitur; fidelem, cui offertur, animam undiqvaqve fidei

fulgo-

fulgore ſplendidam facit. Cumqve toto cœlo CHRISTUS luci præſtet, multo etiam ille penitius non ſapientum modo, ſed infantium qvoqve animos ingreditur; multo largius per qvamcumq; aut legentis aut auſcultantis, aut vitam ducentis peccatoris conditionem ſe inſinuat; multo intimius vel invitum hominem contingit: qvam ubi lux regum Palatia & pauperum tabernas æq; intrat, aut vel per tenuiſſimam rimam irrumpit, vel nemine cogitante exoritur. De lucis reflexione ac refractione tota fere eſt materies doctrinæ opticæ. Qvia enim primũ ab ipſa luce id, qvod video illuminari debet, atqve hinc qvaſi ducta per aerem linea recta viſione rem accipimus; ideo reflecti dicitur radius lucis: qvippe qvi e lucis materia primo in objectum, atqve poſt ad meum procedit oculum. Porro qvia aliqvando accidit corporibus pellucidis propter ipſam perſpicuitatem ſuam, ut qvicunqve e luce radius in ipſa prodeat, is intra ipſum corpus illud penetret, unde qvaqvaverſum transparentes radii tandem qvod in media ejus parte ſupremum punctum eſt, occupant & novos qvaſi radios, (velut in uſtorio ſpeculo, in vitro, adamante vel glacie ſcintillantibus videtur) diſpergunt: qvi cum qvaſi refringantur, tota res refractio lucis dicitur. Reflectitur ſane lux CHRISTI ſalutaris qvoties immediato illapſu ejus meritum atqve juſtitiâ tendit in peccatoris miſeriam: eamqve adeo facit perſpicuam, rurſusq; adeo illuſtrem; ut peccans homo ſè damnabilem, juſtus autem in cœlis judex eundem juſtificatum conſpiciat. Qvod ſi a refractione ſimilitudinem petis? En habe illam! Namqve in illos, qvi vel integritate vitæ, vel cruento Chriſtianæ veritatis teſtimonio, vel doctrinæ puritate nobis prælucent; in illos qvaſi ex omni parte lux divina ingruit, & ipſi inſtar qvoddam ipſius atqve exemplum præbent. Illud venuſte admodum & μαθηματικωτάτως (namqve a Sancto edoctus erat Spiritu) Paulus eloqvitur: 2. Cor. IV. 6. DEUS qvi dixit ex tenebris lucem elucescere, ille illuſtravit (ἔλαμψεν emiſit radium) in cordibus noſtris (Apoſtolorum) ad illuminationem (φωτισμὸν) cognitionis divinæ gloriæ in facie ſeu effigie (προσώπῳ) JESU Chriſti. Qvod ſi etiam perſeqvi vellem illud caput, de repercuſſione

lucis

lucis, & qvomodo in speculis imago intuentis videatur, atq; hinc qvandoqve in aliud, & inde in tertium referatur; Velut Christi Spiritus in nobis effigiem Domini efformat, & exemplo in alios dilato eam propagat: itidem Paulina autoritate id facere possem, conf. 2. Cor. III. ult. Nolo autem hic qvicqvam de Divinitatis & humanitatis in una CHRISTI persona nexu, deqve essentiæ absolutissima simplicitate, qvæ Christo est cum Patre & Sancto Spiritu, ex luminis similitudine dicere. Qvod si enim me non fallunt omnia: si luci æqvipararem unionem in Christo personalem, vel soli vel lumini etiàm vulgari: gratiam apud Reformatos inirem. qvi uti solem in cœlo, aut in suo faculam loco remanere & tamen splendorem ejus undiqve diffundi videamus: Sic Christum etiam, qva homo est, in spatio qvantum sufficiat humano corpori, cœlesti esse & tamen divinam, qva affecta sit caro, naturam ubiqve adesse dicent. Qvod autem lumen & ejus radii ac deniqve circumfusus splendor umbram Trinitatis habeat, qvæ etiam in sensus gentilium veterum parumper incurrit, qvamvis negare nolim: malui tamen ea recensere, qvæ illustrent, qvam qvæ obumbrent argumentum meum, Manet ergo hoc: in luce nobis Christum repræsentari, qvi tamen illa ipsa multo augustior est atq; potior Qvamvis enim illa qvam videmus lux talis est, ut sine ea ne qvidem mundus mundus foret, nec divinæ virtutis opera viderentur: ad CHRISTUM tamen relata non minus est inferior, qvam de cœtero illa est superior. Unum addo lux qvando opacum corpus afficit, partes eas, qvas per hujus interjectionem attingere non potest, umbrosas relinqvit, sive non illuminat. Umbra qvippe nihil est, sed aliqvid esse videtur, in ea parte qvo lux non penetrat. Forte non errabo si & hoc ad Christi nativitatem referam. Umbram habuit Vetus Testamentum futurorum bonorum Ebr. X. 1. (NB ἔχων τὴν σκιὰν non ὢν ἡ σκιά.) Jam vero uti sole oriente vel cadente hominem eundem videas vel præcedaneam vel conseqventem ducere umbram; qvi, cum sol vertici imminet, sine umbra est: sic eadem fides, eademqve salus, qvæ, post-

qvam Filius DEI carne assumta qvasi centro suo circulus insedit, undiqvaqve clara est & sine omni umbra; anteqvam lux ista talem gradum asseqveretur, in Veteri Testamento præ se habuit umbram, qvæ sub sacrificiorum involucris illam non prorsus illustrari sinebat, qvæqve, ubi lux apicem suum obtinuit, evanuisse & cum pleno lumine permutata esse intelligitur. Utinam nostra ætas illud tanta contentione non ageret; ut unum ex alio, qva mores qvaqve doctrinam luci non objiceret obstaculum, forte tristissimam post se sparsura umbram?

Nunc Vos, Charisimi Cives, præsens Scriptura appetit Vos inqvam, qvos pater luminum mediante veritatis verbo benignè progenuit Jâc. I. 18. qvos æqve ac omnem in mundum venientem veniens in mundum vera lux illuminavit Joh. I. Cavete ergo ne ab hac tam illustri stirpe degeneretis, neve tenebrarum soboles fieri credamini. Neqve enim accepta res est ignobilis aut exigua: sed nihil habet supra se præstantius. Qvia hæc demum gloria ingens est ac præcipua: ipsius DEI Filium esse. Enimvero per fidem tales estis Gal. III. 26. & qvidem per Christi nativitatem divino generi velut ânnexi, 2 Pet. I. 4. accepta inde facultate fiendi filios DEI Joh. I. 12. Neqve tanta dignitate carere aut eam respuere sine gravissimo damno poteritis: Cum tam copiose sanctissima hæc lux Vobis pateat, & vos qvasi persеqvatur; ut vel plane non, vel certe nullius, qvam vestra culpa qvondam in tenebris æternis versari debeatis. Qvod qvo est miserius; hoc plus beatitudinis habet ingenuam imitari lucis indolem: qvæ nunqvam est otiosa, semper corpori illabitur, semper corpus facit conspicuum. Sic vestra fides indies capiat e luce divina augmentum, & continuo se videndam per omnia virtutum genera, uti in coloribus lux, imposterum præbeat Splendeat lux vestra coram hominibus qvo videant opera vestra, eademqve bona, & luce digna, patremqve cœlestem deprædicare discant Matth. V. 16. Sic lumen etiam de vestro dabitis lumine (ut cum Ennio e Cicerone loqvar) qvando errantes & malos qvasi manu data per egregium virtutis modestiæqve exemplum corrigetis. Duo autem sunt, qvæ

po-

potissimum faciunt, ne indignum aut statu vestro aut meo officio existimem, nunc potissimũ vos commonefacere ad rem, in qva vos semper paratissimos esse deceret. Videtis hoc tempore, ubi sol in extremo sui a nostris terris discessus constitit, eundem nunc moliri reditum & qvasi de novo lucere velle. Qvod cum soli turpe non sit, qvin vos illius exemplo recepta divinæ lucis virtute novam etiam vitam in luce meditari accingamini. Dehinc idem tempus est, qvo anniversariam exortæ lucis salutaris, àtqve egressus supremi solis e thalamo illibatæ virginis in Ecclesia recolimus: Qvod vobis animum addere debet, ne cum ex luce nati esse velitis; nolle enim sine animæ jactura non potestis; desides sedeatis: sed uti in piorum memoria Christus; sic in vobis renascatur, & speciem nobis omnibus cum voluptate videndam contrahat. Sperlingius vir in mea arte apprime clarus refert de qvodam Scotorum rege, qvi e piscium sqvamis & ligno putrefacto vestes fecerit ac Scipiones aliqvibus; qvos qvasi cœlitus venientes militi suo animum facere jusserat; sicqve per lucis præviæ mendacium exercitum nactus sit pugnacissimum. An vos magis obtemperâturi sitis, si vos propter opinionem hominum, propter sumtuum viriumqve detrimentum, propter modos, qvibus sine strepitu ac turba voluptatem usurpare licet, de modestia continentia & tranqvillitate per has ferias servanda compellarem: id qvidem nescio: credo tamen vos DEI autoritatem & Christi nativitatem, ad qvas cœtera mutuatum lumen habent, pluris habituros esse. Adeo id futurum confido, ut qvales maxime his feriis mores vestros mihi pollicear, adhuc apud vos exprimendum putem. Sic eritis: Omnes vera fide ac integra pietate sacra freqventabunt, domi suæ Christi nativitatem contemplandam & luce exinde hausta precibus ac vita integra celebrandam sibi sument: omnes frugi, omnes boni eritis. Nemo tenebras affectabit, nemo umbras qværet, nemo advesperascentibus feriis vel injuriam vel proterviam in prætereuntes aut templum egressas exercebit, nemo inebriabitur, nemo turbas ciebit nocturnas, nemo vitium admittet, nemo pœnam merebitur. Singuli ultro omne immodestiæ ac proterviæ

instru-

instrumentum ex animo proscribent, uti ex honesta civitate exulare vel potius abesse debent. O qvam illustrem habiturus ego sum magistratũ; si tales vos habebo, qvales jam spero: qvam splendide eum deseram; si tales cognitos judicavero, qvales opto, nempe lucis filios. Certe spe de isthac indole vestra ipse jam elatior factus & confidentior, non jam vos *lucis* filios fieri: Sed lucem vos magis tales facere jubeo. Veni lux vera Christe redemptor, & tota vi radiorum, qvi ex Tua proveniunt natura nostra pectora adimple. Eleva super nos lumen Vultus Tui, ac in veritate & pietate conserva, qvos mihi regendos dedisti lucis, hoc est; Tuos filios: qvo tandem singuli sine labe & macula in Ecclesiæ & reipublicæ lumina evadant!

P. P. Sub Sigillo Rectorali

Ipsa natalis divini feria. M. D.CCII.

